

feit. 3) Quod habita ratione atque intuitu sententiae iudices Camerales eodem loco parique causa cum inferioribus iudicibus, a quorum sententia quis appellauit aut supplicauit, habeantur. *Ordin. d. tit. et §.* 4) Quod sententia priori confirmata, pecunia deposita in sumtum factorum reparationem poenamque eius qui reuisionem petit, cedat. *Ordin. Cam. dict. tit. §. im Fall aber da die Urtheil.* 5) Quod Reuisionem semel petens si succumbat, ulterius non admittatur. *GAIL. l. obs. 155. n. 3. HEIG. p. 1. q. 10. n. 84.*

C A P. VII.

D E

R E M E D I I S A F F I N I B V S.

§. I.

Discussis tam Materialibus quam Formalibus huius Remedii restat vt breuiter quoque *Affinia* eius percurram. Siquidem peritia Iuris consistit in similibus et dissimilibus discernendis. *MASSA de exerc. Iurispr. lib. 2. num. 44. et 58.* Superuacuum tamen putem, differentiam specificam in his latius explicare et multis ostendere, in quibus hoc remedium cum aliis aut conueniat aut ab iisdem differat, eo quod eruditus et discretus lector tam conuenientiam quam differentiam tum ratione Obiecti tum quoque ipsius Formae facili negotio ex praecedentibus capitibus colligere possit. Itaque quasi per indicem praecipui saltem huius remedii *Cognata* paucis annotabo, quae potissimum haec sunt: 1) *Syndicatus*, quo Litigator iniqua sententia grauatum se dicens ipsum iudicem de dolo, quod prece vel pretio corruptus fauore aut odio iniustam dixerit sententiam, accusat. *Ordin. Cam. p. 3. tit. 53. §. 10. wo aber eini-ge Parthey.* Quod crimen iure Ciuili *repetundarum*, nostris autem barbaro vocabulo *barrataria* dicitur, de quo olim Calpurniam, Aciliam et Seruiliam legem constitutam fuisse ex Cicerone notant *MEIER. in C. I. A. tit. ff. de L. Iul. repetund.* **LVD-**

G

WELL.